



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstæ Trevirorum, 1609**

10. Cap. De Irregularitate in communi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40721**

## CAPVT X.

## DE IRREGVLARITATE

*in communi.*

DE hac materia legēdi Summistæ in verbo Irregularitas. Nauarrus in Manuali, cap. 27. à num. 191. Didac. Couarr. in Clement. sī furiosus. de homicid. Candelab. aureum 2. par. Episcopus Scalen. In Enchridio, de censuris in tract. de Irregularitate. Doctores canonum in diuersis locis canonum.

*Quid est Irregularitas?*

EST nota seu impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ad Ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Ex hac definitione & superioribus cognoscitur, irregularitatem nō esse censuram Ecclesiasticam, sed inhabilitatem quandam ad officia Ecclesiastica: Quare notandum pro simplicibus & rudibus, quod quando in forma & concessione Iubilæi, aut Bullis Apostolicis, à Pontifice conceditur potestas absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, non extenditur ad irregularitatem, nisi eius specialis mentio fiat, vt docet Nauarr. loc. cit. num. 194. & 254. Episcopus Scalen. vbi supra, c. 3. & alij alibi.

Pro

Pro generali cognitione huius materie regulas quasdam præmittemus, quæ sequentibus viam aperient.

*Prima*, Nullus incurrit irregularitatem sola voluntate peccandi, aut committendi illud, ob quod à iure imponitur, nisi sequatur effectus, vt Doctores tradunt: exempli gratia. Si quis procurare intendat homicidium, quamuis peccet, si nemo occidatur, non efficitur irregularis.

*Secunda*, In dubio in foro exteriori nemo est iudicandus irregularis: Secus autem interiori siue conscientie, Panorm. in cap. Ad audientiam. de homic. Nauar. & Episcopus Scalen. loc. cit. & alij alibi.

*Tertia*, Nemo fit irregularis nisi in casibus à iure expressis, cap. Is qui, de senten. excomm. in 6. Archidiac. Dominic. & Philipp. Franc. ibidem, Innocent. in capit. Tanta. de excessibus prælatorum, & alij alibi. Quia cum irregularitas iure sit inducta, & pœna, non est extendenda nisi ad casus iure expressos.

*Quarta*, Irregularis quamuis mortaliter peccet toties, quoties celebrat, aut actum alicuius ordinis in irregularitate perseverans exercet, antequam obtineat dispensationem, non tamen incurrit nouam irregularitatem. Quia irregularitas non est censura, ideo eam violans non fit de nouo irregularis, sicut fit in violante censuras.

*Quinta*

*Quinta*, In omni irregularitate descendente ex delicto occulto, & non deducta ad iudicium, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario nascitur, potest Episcopus dispensare. Concilium Tridentinum sess. 24. capit. 6. de reformat.

*Sexta*, Quando irregularitas ex crimine oritur, infans non habens usum rationis, eam non incurrit, nec furiosus, ex Clement. Si furiosus. de homicid. & communi sententia. Ratio reddi potest, quia cum huiusmodi non habeant iudicium ad mortaliter delinquendum, non incurrunt irregularitatis pœnam.

*Septima*, Cessante irregularitatis causa cessat irregularitas: sicut generaliter cessante causa cessat effectus. c. cū cessante. de appellat. Simon Maiolus de irregular. lib. 1. c. 2. Candellabrum aureum part. 2. de irregul. nu. 24. Exemplum est in vita s. Ioannis Damasceni apud Surium, cui manus abscissæ, & postea miraculose restitutæ fuerunt. Sic si quis manus ita debilitas haberet, q̄ non possit Eucharistiam tractare, esset irregularis; Si tamen arte medicorum sanitati restitueretur, cessaret irregularitas, & de similibus similis est ratio.

In multis casibus irregularitas incurritur, de quibus legendi Doctores canonum in multis titulis. Summissæ in verbo Irregularitas. Hic saltem frequentiores subijciemus.